



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XIX. De obligatis ad Ratiocinia Ordinandis vel non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

nullius necessitate vinculis abstrahatur, Barbosa de Officio Episc. alleg. 10. n. 54. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 8. Dixi Privatorem; quia libertus Ecclesie; quod, eum à castris & obsequiis Divinis abstrahendum, periculum non sit, ordinari potest, quantumvis eum manumittens Ecclesia retineat jus Patronatus, Hostiens. cit. n. 5. V. Licet autem.

8. Tertio in sensu latiori adscripti, hoc est, qui glebæ seu fundo colendo adscripti aut personaliter obligati sunt, ut à cultura sine voluntate domini, gratis aut pretio persoluto, eos manumittentis, recedere possessionem deserendo non possint: & Originarii, sive ex ita adscriptis nati, ll. Omnes 6. & 8. l. Originarios 11. l. Definimus 12. l. Colonos 13. Et. C. de Agricol. & censu. Panormit. in c. Mul-torum 2. de Judais n. 1. & Tholos. cit. Lib. 14. cap. 10. à n. 8. cujusmodi hodieque multi, vulgò *Leibaigne* dicti, reperiuntur in Germania nostra: in quibus, licet aliàs absolute homines liberi sint, locum tamen habent pleraque, quæ de servis non ordinandis constituta sunt, can. Si quis obligatus 7. can. Qui aut leges 11. can. Generalis 12. & can. Admirentur 21. V. Ab his junctâ Glosâ V. Originariis dist. 54. cit. Pirthing n. 8. & Wagnereck, rectè monens, eos dominorum consensu & manumissione opus habere, ut ad Gradus etiam Academicos

admittantur: quod pluri & Electoralis nostræ Universitatis praxis docet.

Dubium secundò est, de dispensatione in irregularitate, orta ex conditione servili. Ratio dubitandi est; quod ea descendat ex ordinatione Apostolica, can. 81. cit. Hæc tamen non obstante, cum servo ad Ordines dispensari posse, res est explorata: non quidem ab Episcopo; cum huic servos ordinandi, ac promitte etiam ad Ordines dispensandi, facultas disertè adempta sit à Concilio Toletano I. cujus, Caroli M. Capitular. Lib. 1. cap. 38. & c. De servorum cit. relatò can. 54. Statutum est, ut nullus Episcoporum aliquos servos ad sacros Ordines promoveret, nisi prius à propriis domini libertatem consecuti fuerint. Ratio est; quod ea ordinatione servus, vel extrahatur à servitute dominorum, quod de viat à Justitia, quæ exigit; ne factò alienò quis dominio suo privetur, arg. l. Solvendo 39. ff. de Negot. gest. vel servitè simul debeat dominis & Ecclesie, quod ipsum quoque Juri adversatur; cum dupli-militiæ nemo debeat inservire, l. His quidem 5. C. Qui militare poss. Et qua ratione ab ipso etiam summo Pontifice servilis conditionis vinculo dispensandò, licet absolute possit, non facile evix unquã relaxatur, teste Corrado Præf. Dispens. Apost. Lib. 3. cap. 8. n. 2.



## TITVLVS XIX.

### De obligatis ad Ratiocinia Ordinandis, vel non.

#### SUMMARIUM.

1. Ordinari nequeunt rationibus obnoxii ex administratione,
2. Conduitione vestigalium & similes
3. Ante illas redditus & has depositas.
4. Excipiuntur administratores casus  
Pie,

5. Et alii, qui munere depositio prestiterunt cautionem,
6. Vel aliunde quam ex administratione sunt obligati.
7. Uti etiam Cancellarii Sc. Principum.
8. Cum obligatis ad ratiocinia difficilime dispensatur.

**L**ibertatis defectu laborantibus affines sunt, obligati ad ratiocinia, sive rationes alicujus administrationis rerum temporalium, non tantum Reipublicae, sed etiam alicujus personae privatae, non miserabilis, reddendas, ut sunt thesaurarii, quaestores & tributorum publicorum susceptores, depositarii, procuratores, actores, executores, tutores & curatores pupillorum, minorum & similes: qui, ante redditas rationes & oneris sive muneris sui plenam, liberationem à principalibus obtentam, in clericos ordinari prohibentur *can. 1. dist. 53. §. Magnus post can. Nulli 2. dist. 54. can. Credo 21. q. 3. & c. Unico hic*, partim; ne jam promoti implicentur variis negotiis & litibus, & à sacris ministeriis abstrahantur cum damno & infamia Ecclesiae, cui praesunt: partim verò; quòd Ordines ab iis peti praesumantur non tam studio devotionis, quam declinandi Fori secularis in praedictum creditorum, aut quorum res administrant; cum ordinati coram iudice solum Ecclesiastico possint conveniri, *c. Si diligenti 12. & c. Significasti 18. de Foro compet. & plenae executioni contra eos faciendae obstat privilegium Competentiae: vi cuius illis congrua sustentatio relinquenda est, arg. c. Odoardus 3. de Solut. Pirrhing ad hanc Rubr. n. 1. & Gonzalez in c. Unico. cit. num. 8.*

2. Sicut hi, sic etiam, priusquam oneribus & muneribus liberentur, ordinari

nequeunt, qui ratiociniis obnoxii sunt, ratione negotiationis secularis, aut conductionis vectigalium Fisci, *can. Placuit 2. cit. q. 3.* vel obligationis ad servitium personalia ratione militiae, *can. 1. dist. 53. cit.* aut feudi, requirentis obsequium personale, quod repugnat Ordini clericali, Sylvester *V. Feudum n. 9.* quia secundum Apostolum, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis Secularibus*, 2. *Timoth. cap. 2. v. 4.*

Dubium hic movetur, an priusquam ordinentur, à ratiociniis liberatos esse oporteat relatos administratores omnes; sunt enim, qui cum Glossa in *c. Unico. cit. V. Ratiocinia & Panormit. n. 3.* inter res Publicas & Privatas distinguant: & illarum quidem, non, nisi rationes reddiderint: istarum verò administratores etiam ante has redditas, modò administrationis onus deposuerint, ordinari posse censent; quòd *can. Legem cit.* ubi utrumque exigitur, ad publica solum ratiocinia obligatorum mentio fiat. At, licet hoc ita se habeat, utrumque tamen, tam rationum redditio sive ab iis liberatio quam oneris sive officii depositio, simul exigitur: & sicut publicorum, sic & privatorum administratorum expressa mentio fit *§. Magnus & c. unico. cit.* Quare meritò quoscumque, propter administrationem aut rationes reddendi obligationem ab Ordinum susceptione impediri, docent Suarez *de Censur. disp. 51. §. 3. n. 19.* & Laiman *Lib. 1. Tract. Sp. 5. cap. 8. n. 3. in fine*, praesertim; cum ejusmodi administratores praecipue propter obligationem ad ratiocinia ab Ordinibus repelli, non obscure insinuet praesens Rubrica, *De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.*

Excipiuntur autem, & ab Ordinum susceptione non repelluntur primò procuratores, tutores & curatores personarum miserabilium v.g. viduarum, orphorum,

Y y 3 notum,

norum, pauperum, aliorumque, humanò auxilio destitutorum, administratores rerum alicujus Ecclesiæ vel alterius causæ Piæ; tales enim à clericatu & sacris Ordinibus non repelli, cum *citt. Glossa & Panormit. docent Suarez ibid. n. 17.* & alii relatis Barbosa *de Officio Episc. alleg. 10. n. 47.* cum enim tales administrationes causâ Pietatis suscipere liceat clericis, *can. fin. dist. 86. Sc. 1. Ne clerici vel monachi,* cur non etiam durante administratione, tanquam à statu clericali non aliena, ad clericatum & Ordines valeant promoveri? Ob eandem causam ordinari etiam non prohiberi, qui legitimam tutelam habent proximorum agnatorum, notat Sylvester *V. Tutela q. 3.*

5. Excipiuntur & ad Ordines admittuntur secundo alii etiam rerum temporalium administratores, si aliis indigni non sint, quando, administratione depositâ, principales suos præstitâ fidejussoriâ aut alia idoneâ cautione de rationibus reddendis & debitorum solutione, in sui defectum ab alio faciendam, securos reddiderunt, aut cesserunt bonis suis: nisi horum cessio in status Ecclesiastici dedecus redundaret, *citt. Panormit. n. 10. Barbosa n. 47. ad finem & Palao Tract. 29. dist. 6. p. 13. n. 10.* & probabilius etiam, si post redditas rationes ex administratione contracta debita non sint soluta, saltem si cautionem præstent de solvendis, & creditores eorum ordinationi non contradicant, *citt. Suarez n. 23. Laiman n. 3. in fine & Palao n. 11.* quòd SS Canones in dictis administratoribus ad Ordines admittendis solum exigant, ut administrationis onus depositum & ratiocinia reddita sint: propter obligationem autem debiti solvendi eos nullibi excludant.

Quod si tales, rationibus quidem redditis, sed idoneâ cautione non præsti-

tâ de solutione, & invitit vel non contententibus creditoribus contingat ordinari, eorum bona pro debiti quantitate his in solum addicuntur, *Glossa in c. Unic. cit. V. Infamatur & Panormit. ibidem n. 7.* Si ordinati bona non sufficiant, & solutionem consequi aliter nequeant creditores, conveniri ab his potest Episcopus, à quo ipsis invitit debitor ad alios Ordines scienter promotus, & debiti solutionem consequendi facultas ipsis est ablata, *Panormit. cit. n. 7.*

Excipiuntur tertio, qui alius ex promissione, mutuo, emptione, conductio- ne vel alio contractu, nullam alteram rerum administrationem aut ex illa notam ad ratiocinia obligationem continentem, obligantur; quòd id nullo jure expressum, & *c. Unic. cit.* dispositio, utpote odiosa, non sit extendenda, *Glossa in c. Præterea 3. V. Functionibus dist. 91. & cum ea citt. Barb. limit. 3. & Palao n. 12. ubi dicitur iste talis excipit eum, cui lis moveretur de dolo; enim lite pendente ab Ordine esset repellendus; quia, si ex tali actu condemnaretur, redderetur infamis, & quibusdam 2. Instit. de Pœna temeritatis.* Ne tamen litis protelatione reus super dolo conventus nimium graveatur, quod eo potest, ut actori & judici assignetur terminus, intra quem dolus probetur, & si dolus non fuerit probatus, reum ad Ordines admittendum, cum Sairo *Lib. 6. Theauri cap. 14. n. 8.* censet Palao *cit. p. 13. n. 9.*

Excipiuntur quarto, & exprès- sio, sive tacita concessione Papæ, vel Ecclesiæ consuetudine potius quam sanctionum Ecclesiasticarum concessione, clerici esse possunt Principum Cancellarii, Consilarii, imò etiam causarum Civitatum iudices, ut cum Panormit. *in c. Clerici 3. Ne clerici vel Monachi n. 10.* advertunt *citt. Suarez*

sitt. Suarez n. 16. Lainan n. 5. & Palao n. 13.

Cæterum, sicut cum non plenè manumissis & aliis personaliter obligatis, sic etiam cum iis, qui ratione administrationis rerum temporalium reddendis rationibus obnoxii sunt, ad Ordines dispensate solus Papa potest, & non facile, rarif-

simèque solet; cum propter damni & infamiae in Ecclesiam redundaturæ periculum: tum verò propter præjudicium eorum, quorum res administrarunt, ut iterum testis est Curia Romanae styli peritissimus Corradus Prax. Dispens. Apostol. Lib. 3. cap. 8. n. 2.



TITVLVS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. Irregulares sunt corpore vitiati,</li> <li>2. Ex membri mutilatione,</li> <li>3. Vel debilitate:</li> <li>4. Ex deformitate vel morbo,</li> <li>5. Impedientibus decentem Ordinum usum.</li> <li>6. Tales sunt, qui brachio, manu, istruisve pollice vel indice carent:</li> <li>7. Capti pedibus vel enormiter claudicantes,</li> <li>8. Oculò orbatì vel caci sinistro</li> <li>9. Naribus vel auribus mutilati,</li> <li>10. Muti &amp; surdi,</li> <li>11. Monstrofi,</li> <li>12. Leprosi, furiosi, phrenetici, arreptitii cum similibus:</li> <li>13. Abstemiis &amp; qui valde frequentes vomitus patiuntur:</li> <li>14. Qui etiam ad minores Ordines nequeunt promoveri.</li> <li>15. Promoti tamen ministrare aliquando permittuntur,</li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>16. In dubio Episcopus de ordinandi:</li> <li>17. De ordinati irregularitate aliquando alii judicant.</li> <li>18. Ordinari nequit, qui partem corporis sui voluntariè abscidit.</li> <li>19. Non etiam, qui rei illicita,</li> <li>20. Etiam ex se periculosa operam dans sui mutilationi causam dedit:</li> <li>21. Nisi in illam,</li> <li>22. Etiam vocis retinenda causâ liberè consenserit.</li> <li>23. In hac irregularitate dispensat Papa:</li> <li>24. Cum absentibus tamen per Episcopos:</li> <li>25. Qui illam, ex delicto occulto ortam, etiam propria auctoritate relaxant.</li> </ol> |
|--|---|

**O**rdinationis sacrae frequens impedimentum est vitium seu defectus corporis: quod sanctionibus Ecclesiasticis introductum est ad imitationem Veteris Legis; in hac enim,

I.